

- 20 Mater decessit, solus cum patre relinquer,
 Quo duce dante Deo loca sancta peto tener evo,
 In quibus humanam crux est operata salutem.
 In reditu Tyri deploro patrem sepeliri.
 Traditus in curam, curat mea meque minister.
- 25 Rara fides hominum, quibus est formido magistra.
 Dum servat mea meque, reservat carius illa.
 Pandere vela nothis invitantur redituri.
 Ecce meus, jam non meus ille ratem pedagogus
 Abstat, abit, portat mea; solus in ede relinquer.
- 30 Dum vigilo, fraudem video; tabesco dolore:
 Amplior equoreis angit me cura procellis.
 Exul egensque vagor; mihi barbara lingua, famesque
 Longa, manus mendica, dies fecere nefastos.
 Panis et ignoti sermonis colligo micas.
- 35 Emendico scolis quod erat studii vel honoris.
 Annus abit; mare sulcantes veniunt Alemanni.
 Mota querendo movet cunctos contricio Joseph.
 In sua me tandem suscepit larga potestas,
 Restituens oris reducem patrie regionis.
- 40 Fluctuat interea pacis status ecclesiarum.
 Electum Treveris favor improbat imperialis.
 Papa favendo probat; super hoc dissentit uterque.
 Inter se pugnant gladii duo: spiritualis
 Obviat imperio, versa vice materialis.
- 45 Scinditur in partes Christi domus, unio pacis.
 Pars juvat hec Romam, sceptri fovet illa coronam.
 Causa timoris erant gladiis obsessa viarum
 Competa; legatis captis, cesis, spoliatis,
 Pontifices mittunt apices, hinc inde receptant.
- 50 Cum proprio favet his pastore Colonia, mittens
 Veronam, qua papa moram faciendo resedit.
 Tam prece quam precio, legati scripta ferenda,
 Arte viatoris baculo signata, recepi,
 Nam minor in pedite fuerat nota suspicionis.
- 55 Curro parum tutus; preit ille timore solutus.
 Cis alpina tenens, offendo per invia furem.
 Ille comes petit esse meus, concedo petenti.
 Progredimur, sonus excipitur post terga sequentum.
 Fur latuit, sua deposuit, dum transeat hostis,
- 60 Me penes; inventis in sacco rebus ademptis
 Inficior, magis afficior flagris cumulatis.
 Vincior atque trahor; tractus sub iudice causam
 Intro, set allegare vetat presentia dampni.
 Res manifesta reum docet, annuit ordo senatus,
- 56 Morte crucis dampnat sententia; posco, sacerdos
 Assit: adest; peto det veniam delicta fatenti.